TENTAMEN INAUGURALE,

DE

EFFECTIBUS ALKOHOL.

TENTAMEN INAUGURALE,

DE

EFFECTIBUS ALKOHOL:

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS HENDERSON, A. M.

SCOTUS.

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

Woe unto them that rise up early in the morning that they may follow strong drink; that continue until night, till wine inflame them!——Is. v. 11.

Ad Idus Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH,

Typis Joannis Moir.

1813.

JOANNI GORDON, M. D.

DE ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA PRAELECTORI, &c.

GUL. HENDERSON, S. P. D.

Tibi debetur, Præceptor spectatissime, quidquid egoin medicinae studiis exquirendis profecerim. Nec enim sine te, nec nisi tuo ingenii acumine simul ac morum suavitate directus et adjutus, ullum quantumvis exiguum potuissem.

Graviter habeo perspectum, hocce tentamen penitus esse indignum quod tuo sit nomini inscriptum; sed quoniam mihi non contigerit alterum quod statueram et politius et, uti sperabam, tuique meimet etiam ipsius dignius proferre, accipias quaeso hoc qualequale animi grati argumentum, quo testatum volo, me non unquam tua erga me beneficia innumera et gravissima ulla ratione obliturum.

Sis ut antehac, sic in multos annos futuros, familiaribus carus et colendus, omnibus aeque diligendus et admirandus, ipse ad omnia foelix.—Vale.

PATRI

JOANNI HENDERSON

DE CASKIEBEN ARMIGERO.

——— ——— tua— hæc pro parte videto
Qualiacunque vides ; utinam meliora videres !

VIRO REVERENDO

ROBERTO STEPHENS M^cALL,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

Nec te, nec me Hercules equidem memet ipso dignum reputo hoc erga te amicitiae testimonium; sed qualecunque id sit, bene novisti spatium mihi non contigisse, quo disertationem de quaque re, etiam levissima, expolitam efficerem.

Hoc ex parte solamen mihi est, quod non dubito, te quanti ego té faciam statuturum, non ex gravitate vel magnitudine inscripti, sed ab aestimatione qua ductus sum ad tuum hic nomen inscribendum.

Sis, uti mereris, omnibus probis ubicunque carus, nec minori fruaris foelicitate, quam ingenio potiris.—Valeto.

Πιόντα τὸν ἄνθρωπον, αὐτὸν αὐτοῦ ποιεῖ πρῶτον ἵλεων εὐθὺς μᾶλλον ἢ πρότερον· καὶ ὁπόσῳ ἂν πλέον αὐτοῦ γενήται, τοσούτῳ πλείονων ἐλπίδων ἀγαθῶν πληροῦται, καὶ δυνάμεως εἰς δοξαν· καὶ τελευτῶν, δὴ πάσης ὁ τοιοῦτος παῤῥησίας ὡς σοφὸς ὢν μεσοῦται καὶ ἐλευθερίας, πάσης δὲ ἀφοβιας, ὥς τε εἰπεῖν τε ἄοκνως ὁτιοῦν, ὡσαύτως δὲ καὶ πρᾶξαι.—Ἆρα σφοδροτέρας τὰς ἡδονὰς, καὶ λύπας, καὶ θυμοὺς, καὶ ἔρωτας ἐπιτείνει·—τὰς δ' αἰσθήσεις, καὶ μνήμας, καὶ δόξας, καὶ φρονήσεις, πάμπαν ἀπολείπει ταῦτα αὐτὸν, ἂν κατακορὴς τις τῇ μέθῃ γίγνηται.*

* Plat. de leg. l. i.

AD LECTOREM S.

Mirabere forsan, cuicunque paginas sequentes pelegere acciderit, quod non frequentius ablegam ad libros diversorum auctorum, tam medicorum quam physiologorum et chymicorum, qui de alkohol ejusque effectibus, ingenio et consilio non minus variis scripserunt.—Hujus, ut nonnullis forsitan videbitur vitii ne mihi culpam aliquis inferat, hic te monendum duxi, parum otii ad hanc dissertationem conjiciendam mihi fuisse concessum, et animum inprimis impulisse, ut quæ sunt, non quæ esse putantur, vel fuerunt putata, enarrarem.—*Vale.*

——— *Hominem cum vini vis penetravit*
Acris, et in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum, praepediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt. *

* Lucret. iii. 475.

Joanni Ogilvie M.D.
cui sint omnia fausta,
haec offert
Gul: Henderson

TENTAMEN

INAUGURALE,

DE

ACTIONE ET EFFECTIBUS

ALKOHOL.

Ἀφυΐας σημεῖον ἐπὶ πολὺ πίνειν. *

QUONIAM unicuique in hac alma academia doctoratum ambituro præcipitur, thesin quamquam publice defendendam proponere, mihimet effectus ALKOHOL in corpus humanum, vivum, atque sanum, breviter tractandos constitui.

---

* EPICT. Encheir. c. lxiii.

De propositi gravitate parum multa videntur dicenda ;—ebrius fiat quisquis dubitat, ac postero die secum recogitet, si quæ tum se mala invadunt, prius accurate, perspicue, et attenter percognita habuisset, humana natura facieque divina fuisset ita abusurus necne.—Sed ne hac etiam recogitatione, neve experimento eventus adeo tristis est opus, ad demonstrandum quanti omnium interest, actiones hujusce spiritus vero maligni in hominum corpora mentesque intime cognoscere, et cognitas summa cum diligentia evitare: Perlustret aliquis cujusvis fere oppidi (sane cujusvis, modo ampliusculi intelligamus) vicos, angiportus, vel diverticula, non omnia, sed perpauca etiam, nec noctu solum, vel multo mane, sed quolibet fere diei cursu, videbit exempla satis multa et nimis gravia effectuum hujus ad generis humani miseriam additamenti.

In corpus humanum quomodo agit alkohol? De hac re verba sine fine multiplicari queunt ;—nil certi, dubitationis multum

hunc actionis modum curiosius indagantem undique circumagit.

Recepti in stomachum, membranæ hujus visceris, et fibræ ex quibus constant, actioni suntne obnoxiae?

Agit necne in ventriculi nervos solum vel praecipue?

Vasa desorbentia illud recipiunt, an non?

In pulmones inhalatum, cerebrum per eorum nervos, an per lymphatica ad cor devexum illius nervorum interventu, an cum sanguine ad caput transiens illud directe invadit?

Estne alkohol, an unum aliumve ejus elementorum chymicorum, (*oxygen* scilicet, *hydrogen*, *nitrogen* forsan, et *carbon*,) an inter aut per haec vel ex his compositum quoddam, nondum vel chymice perscruta-

tum vel sensu indagatum, quod in corpus humanum ita valide ut videmus agit?

De singulis horum quaestionum facile non dissertatio tantum sed etiam volumina perscribi possent, et quoniam non cum dubitatione aut conjectatione, sed certitudine mihi nunc est, hæc omnia intacta relinquere licet.

An alkohol merum, vel aqua commistum, in hominis corpus validius agat, prorsus nescio: Egomet, ni fallor, magis sum obnoxius actioni alkohol non attenuati, sed ejus in quosdam actionem non a conditione sed a copia solum adhibita pendere, facile credere possum. Novi equidem, qui se plus noxae ferre profitetur ab usu haustus Anglice '*Rum and water*' dicti, quam ab aequali copia meri. An hoc de idiosyncrasi quadam pendeat, vel inter alios etiam obtineat, non adhuc compertum habeo.

In hominis mentem quomodo agit alkohol?

Per corpus interpositum satis liquet, et etiam per nervos corporis: Sed qualiscunque sit in nervos actio ad mentem prolata, omnino latet; nec forsan nota multum interforet, (praetermisso scilicet quam sit gratum aliquid nosse, vel notum putasse.)

De actione alkohol in corpus humanum disceptaturus, haud prorsus ineptum videtur, de ejus in corpus ingerendi ratione et modo paucula praefari.

CEREVISIAE *tenuis*, *generosa*, et *lupulata*, (quibus vulgo tituli SMALL vel TABLE-BEER, STRONG BEER, vel simpliciter ALE, et PORTER,) KOWMISS, QUASS, ARRACK, RUM, BRANDY, GIN, WHISKY, et mille alia de alkohol confecta vel composita, quorum nomina recensere operae pretium non foret, aditum ei in ventriculum nimis latum et justo faciliorem praebent. Hac via plerumque ingressum corporis et mentis vires invadit. Sed per pulmones quoque vaporem a composito spirituosiore ascendentem corpus afficere vi-

dimus; huic autem ebrietatis speciei non nisi perpauci et hi raro sunt obnoxii. An hic aut alius quisquam vapor, vel exhalatio quaequam, per cuticulam sorptione spontanea in corpus recipi possit, adhuc fere latet in obscuro.

Ut quae dicenda mihimet proposui paulo ordinate recensere possim, visum est, ea sub quibusdam capitulis vel sectionibus digesta, quam brevissime pertractare.

Ad effectus igitur alkohol in *Nervos, Vasa Sanguifera, Glandulas, Ventriculum*, et *Pulmones*, ordinatim incumbere mecum decrevi;—proderit quoque forsitan, effectus per *pauxillum* alkohol, et per illius *copiam* temere desumptam inductos, necnon qui ex *usu ejus quotidiano* oriuntur, separatim enarrare.

Quoniam corporis interventu solo vel per medicamina vel per diaetam mens affici potest, ac quoniam mentis in corpus actiones

non nisi per nervorum mutationes percipere quimus, in hac sequenti dissertatione quae ad mentis physiologiam ejusque ex alkohol usu immutationes spectant, sub titulo actionis alkohol in nervos comprendere non dubito.

I. De Actione Alkohol in Nervos.

a) In corporis nervos pauxillum inprimis alkohol non secus agit ac alia stimulantia. Sensus fiunt subacutiores; celeriora et vividiora per mentem transeunt cogitata; musculi omnes facilius et fortius agunt, et qui de volitione pendent motus, una cum fere omnibus mentis et corporis actionibus (ratiocinatione et mathesi exceptis) non sine jucunditatis vel voluptatis quodam sensu peraguntur, nec tum fere sentiuntur omnino incommoda vitae.

Ὅταν πίνω τὸν οἶνον,
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι·
Τί μοι, τί μοι γόων,
Τί μοι μέλει μεριμνῶν;
* * *
Πίωμεν οὖν τὸν οἶνον,
Τὸν τοῦ καλοῦ Λυαίου·
Σὺν τῷ δὲ πίνειν ἡμᾶς,
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι.*

Vertigo non injucunda brevi inducitur, et oculi fiunt nec bene acuminati nec rite directi, ita ut vix quidem legere possit qui alkohol justo plus biberit. Dum progrediatur versus ebrietatem, oculi minus et adhuc minus commodi aut utiles deveniunt.

Inter hos autem effectus e pauxillo alkohol adhibito defluentes, praecipue eminent motuum a volitione pendentium jucunditas, et cogitatorum per mentem transitus acceleratio. Ista cogitatorum acceleratione efficitur, ut qui hac alkohol actione laborat parum sit at-

---

* Anacr. Ode 25.

attentus ad ea quae per mentem suam sese praecipitant. Quidquid igitur animum occupat a lingua haud longe abest;—hinc sententiae permultae nec quidem veri absimiles, quarum quaedam hic sunt adjunctae;

————Tu sapientum
Curas, et arcanum jocoso
Consilium retegis Lyaeo.*

Quid non ebrietas designat? operta recludit.†

In vino veritas.

Ebrius nil celat; quod habet sub corde revelat. ‡

Comme le moust bouillant dans un vaisseau, pousse à mont tout ce qu' il y a dans le fonds, aussi le vin faict desbonder les plus intimes secrets à ceux qui en ont pris outre mesure. ||

Omne vitium ebrietas et facit et detegit; obstantem malis conatibus verecundiam removet; ubi possedit ani-

---

* Hor. Od. III. 21. † Idem, Epist. I. 5.
‡ Car. Prov. Loc. Com. p. 60.
|| Essais de Montaigne, II. 2.

mum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed potrahit.*

Hi autem effectus nequaquam perdurant; non multo post adhibitum alkohol, imminui videntur; et imminuendo progrediuntur, donec prius acceleratae actiones omnes etiam solito languidius perficiendae deveniant.

b) Si quisquam brevi admodum temporis spatio copiam alkohol satis amplam inglutiet, effectus omnes supradicti primo augentur, sed ut fortiores, sic quoque citius evanescunt. Tum fiunt sensus omnes obtusi, et cogitata pigre excitantur; actiones quibus causa voluntas aversantur, nec (si eas perficere oporteat) sine summa injucunditate peraguntur: Augetur admodum vertigo, et diplopia evidens obtinet,

---

* Raleigh's Hist. of the World, B. IV. C. iv. § 19.

——————————————Videntur
Omnia quae tuimur, fieri tum bina tuendo,
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas aedeis geminare supellex;
Et duplices hominum facies, et corpora bina.*

Nec tamen ebrium adhuc ita afficit corporis mentisque hebetudo, ut cogitatorum suorum turbationem vel prorsus ignoret, vel omnino praetermittat. Per hunc mentis turbatae sensum et per oculorum et aurium jam maxime auctam hebetudinem efficitur, ut quae adhucdum ex sensuum externorum munere ita segniter et imperfecto functo comprendi potuissent, etiam minus excitent attentionis.

Aucta vertigo, sensuum hebetudo, et somni appetentia quaedam jam superventa, palpebrarum nutum inducunt et conatus ad se et omnia sopore obliviscenda; nec modo dormire liceat ebrio adest cura ubi, vel qua conditione, vel quomodo,

---

* Lucret. IV. 450.

——Passim somno, vinoque, per herbam,
Corpora fusa vident; —— —— ——
Inter lora, rotasque, viros, simul arma jacere,
Vina simul.*

Nec mora; sopor supervenit, non somnus;—quem adhuc vigilem ad cubile deportabat compotator, non raro sopitum lectulo imponit. Hoc perdurante sopore, apoplecticum non parum simulat, et interdum nequaquam facile dignotu est, an apoplexia an ebrietate laboret iste lethargicus.

Ebrie, quid faris? Vivis? vel morte gravaris?
Quod facias nescis; truncus sine mente quiescis.†

Si alkohol desumptum non fuerit satis copiosum ad hos tam diros effectus proxime relatos inducendos, tum somni appetentia contra vertiginem dimicans gravissime inquietum efficit; nec nisi post multos frustra conatus tandem dormire fas est. Non autem

* Virg. Æn. IX. 316.

† Car. Prov. L. C. p. 59.

tam dormire quam somniare, nec etiam jure somniare sed potius vix accurate sentire dicatur; nam inter somnum inquietudine summa, somniis, non autem distinctis nec postea memoratis, et semisensu quodam corporum externorum vexatur. Haec autem gradatim minuuntur, ac prius placide paulisper dormit quam exsuscitatur. Tandem expergefactus vertigine adhuc laborat, quae non infrequenter perstat donec sese e lectulo miser erexerit, vel etiam donec cibi aut potus aliquid acceperit.

Admodum interea debilitantur mentis actiones.

c) Si alkohol rectificati, ut dicitur (quam barbare judicet quisquam ratione praeditus) copia permagna temere ingurgitetur, ita valide in corporis vires agit, ut ne vita quidem perdurare possit:—Subito correptus, statim mortuus evadit infoelix temeritatis suae exemplum.

d) Nil mirum, qui alkohol inglutiendo sese assuefecerit effectus istius consuetudinis omnes graviter comprobat. Sensus hebescunt, languescunt cogitata et turbantur, nec jucunde peragitur quiquam motus de volitione pendens. Dum non ebrius miser, vel etiam miserrimus: Vitae jucunditate frui potest, tantum cum ejus incommoda vix sentire queat; nec tum quidem fruitur, sed potius illa abutitur, delectationem quandam rationi certe non consentaneam reperiens ut videtur, etiam in illis quae a Salomonte manu admodum forti his verbis sunt descripta.

Who hath woe? who hath sorrow? who hath contentions? who hath babbling? who hath wounds without cause? who hath redness of eyes?—They that tarry long at the wine: they that go to seek mixed wine.

His non inique addam consilium verbis perpaucis sed gravibus conceptum, et notatu

dignissimum, ab eodem philosopho regali prolatum.

Look not thou upon the wine when it is red, when it giveth his colour in the cup, when it moveth itself aright; at the last it biteth like a serpent, and stingeth like an adder. *

Ebriositate tandem omnino dilassatus, aut maniacus aut suicida haud raro devenit.

---

* Prov. xxiii. 29, &c.

II. De illis quae interea vasa sanguifera invadunt.

a) Modicum alkohol, sicut per nervos mentem, ita etiam per nervos cor excitat. An intensio † simul ac vis et frequentia systoles sit aucta, plane ignoratur. Vix autem licet dubitare an acceleretur sanguinis per vasa fluxus. Caput versus paululum tendit sanguis, et forsan vertiginis partim in causa sit plethora caput aggrediens.

---

† Hoc verbo designare autumo quod quidem nescio an in curiam jure vocetur : systolem, scilicet, sanguinis in ventriculis contenti totum ex iisdem propellentem, intensam ; quae autem partim tantum sanguinem propellit, debilem, laxam, vel si placet hebetem, nominare ausus sum.

Jure dubitemus an alkohol per ventriculi solius nervos cordis actiones stimulet, an quoque per vasa ad id idonea desorbeatur, et in sanguinem receptum, aut per çordis et vasorum nervos, aut per aditum ita ad cerebrum patefactum, ex parte saltim operetur.

Etsi haudquaquam dubito caloris animalium nervos inprimis in causa esse, attamen, quoniam ejus cum sanguinis motu quam cum nervorum functionibus nexus evidentius liquet, visum est, quae paucula de hoc animantis munere dicendi sit occasio, inter observata ad vasa sanguifera spectantia comprendere.

Durante alkohol actione verisimile videtur, caloris ex sanguine solito plus evolutum esse; etsi enim adhuc ignoratur an calor partium internarum corporis fiat intensior, nil dubii est quin cutis tactui aliquantulo caleat.

Quae in sanguinis conditione chymica mutationes obtinent, de quibus pendet evolutio caloris ad vitam conservandam prorsus necessaria, inter vasa ad minimum cutanea vi quam solet majori peraguntur.

Eorum sanguini e vena detracto, in quos valide et (ut dicitur) directo agit alkohol, an adest tegumentum illud ex fibrina compositum, et sub nominibus '*Buffy coat,*' vel '*Inflammatory crust,*' fere omnibus cognitum?

Quomodo afficiuntur eae nervorum cum sanguine nexus sive relationes, quae forsan hujusce vitalitatis hypothesi praebuerunt originem?

b) Effectus qui ex alkohol usu copiosiore effluentes inter vasa circulationi inservientes sese ostendunt, debilitatem pergravem plane indicant. Tardatur minuitur et languescit systole cordis, pallescitque cutis, et

caloris evolutio impeditur. Vasa autem quae versus caput tendunt, vel propter auctam eorum irritabilitatem, vel propter sanguinis ad alias corporis partes fluxum imminutum, insolito sanguine implentur, nec veri absimile est, hanc circa caput congestionem causae ex parte esse vertigini, diplopiae, cogitatorum turbationi, et deinceps pulsui tardato, ac sopori.

Postea, cum vires sint aliquantulo refectae, inter capillaria cutis vasa caloris evolutio multo quam in sanitate intensior obtinet.

c) Ex haustu permagno alkohol minime diluti, velut in nervos, ita in cor prodit mors subitaneus; sed potius (quoniam sententiis celeberr: sane et inter physiologos maxime lugendi Xav. Bichat vix subscribo) rem ut est declarem: cor scilicet hominum ut putatur, brutorum ut experimentis constat, tali modo vita privatorum, admotis stimulis, vix ullum praebet vestigium irritabilitatis.

d) Ab alkohol usu quotidiano oriuntur inter vasa sanguifera quaedam a recto aberrationes nequaquam nulli momenti. Ex quibusdam phaenomenis de hac consuetudine fluxis concludimus, sanguinem versus quasdam partes corporis prae aliis tendere, vel si hic hypotheseos sit locus, vasorum quorundam inter alia auctam esse irritabilitatem: Hinc enim ut videtur tumores vulgo carbunculi dicti vel gutta rosacea.

Quanti valeat D[ris] TROTTER sententia de pulmonum functionibus susceptis ab his tumoribus ulcera simulatis, et de hydrogen evoluto ex arteriis capillaribus per illos dispersis? *

* Vide Essay on Drunkenness, pp. 58. 112.

III. De alkohol in glandulas actione non sunt multa dicenda; tota enimvero partium secernentium physiologia tam alta obducitur caligine, ut ne quidem ulla ex earum functionibus ad dispiciendum, fere nulla ad disputandum etiam pateat.

a) Ex alkohol modico, munerum quibus funguntur haec vasa siquae eveniant immutationes fere prorsus ignoramus.—Credibile videtur haec inter alia corporis organa stimulari, sed licet dubitare an hic effectus sit necne accelerationi sanguinis per vasa fluxus partim tribuenda.

Omnino ignoratur, an per secretionem ita affectum producta chymice ab illis differant quae evolvuntur dum corpus solito fruatur salute.

b) Post vinolentiam pergrandem, defluit urina perparca et subrubra, cui rei forsan in causa sit per cutim transpiratio tunc temporis maxime aucta. Non raro mucus a glandulis buccarum et labiorum secretus viscidior devenit et dulcescit nec tamen gustui grate. Quaenam sint secretorum inter intestina mutationes interea evenientes?

c) Ex alkohol desumendi consuetudine insequuntur inter glandulas nonnullae à sanitate aberrationes notatu dignae; praecipue damna fert jecur, et bilem quam debet secernendi facultatem fere amittit: Urina copiosa limpida et nonnunquam mellita demittitur: Omnia mucosi generis secreta plus minusve mutantur,—fere viscidiora fiunt.

IV. De incommodis quae ventriculum infestant.

a) Ex alkohol pauxillo absumpto, devenit stomachus paulo adversus cibos acrior.

Quaenam sit sensus in hoc viscere fere depleto per alkohol inducti et esuriem simulantis natura, vel causa? An ex actione chymica spiritus in viscus? An ex actione vitali, si placet, visceris in spiritum?

Etsi frequenter adhibeatur alkohol, deficiente esurie, cibi appetitum quasi praebiturum, non tamen rarum est nautas, qui coelo acri nixi et tempestate usi adversa rem amiserunt, inediam et algorem*, etiam per

* Annon frigus esuriei sensum ex parte saltim abigere potest?

tempus amplum ad modum, auxilio alkohol vel quorundam ex eo compositorum depulisse.* Ad hunc tamen alkohol effectum comprobandum oportet nec multum simul absumere, nec quod pauxillum desumatur sine longo intervallo resumere, ne sequatur ebrietas, quae nihilomimus in his rebus non multum verenda est, nisi admodum incaute adhibeatur alkohol; algor enim, anxietas, horror, et formido, tunc infaustum ingrassantes, ebrietatem forti manu fugant.

---

* Confer quasdam e relationibus subjunctis ad finem tractatus adhuc immerito a medicis pene neglecti, a D. Gul. Vaughan editi, et impensis Johnson in vico *St Pauls Church-yard* excusi, cui titulus, ‘A Narrative ‘of the sufferings of Captain David Woodard on the ‘Island of Celebes.’—Huncce tractatum solita humanitate mihi impertiebat Medicinæ Forensis facundissimus apud hanc Academiam Professor.

b) Ab alkohol largiter ingurgitato ventriculo inducitur maxima debilitas, nec *tonum* (uti nominatur) omnino colligit brevi temporis lapsu.

Singultus qui ebrios saepe vexat ipsius ebrietatis effectus haud mihi videtur. Forsan est potius tribuendus parti alkohol, chymice mutato, et in acidum quodammodo converso ;—fortasse attamen ejus in causa est actio alkohol directa in nervos stomachi.

Quae ventriculum mala invadunt, partim forsan sint causae cephalalgiae acutae ebrietatis insolitae victimam infestantis.

Nausea, et vomitus vix tolerandus non raro corporis a sopore apoplectico expergefacti motum vel minimum insequuntur, et miser ab his misere cruciatur: non enim illum vexare cessant cum jam ventriculi contenta fuerint in toto ejecta, sed interdum etiam per horas durant.

Notatu haud indignum videtur, pauxillum alkohol adhibitum, stomacho ante omnino depleto, saepenumero hanc vomitionem prorsus abigere.

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum, et fuerit medicina.*

Quomodo agat haec ignis ad ustionem fugandam applicatio, nec mihi occasio est nec animus indagandi.

Actio autem qualiscunque sit hujus iterati veneni non perdurat;—stomachus maxime debilitatur, et non sine curatione assidua sunt ejus vires colligendae.

c) Ex alkohol usu frequenti mille ventriculo adoriuntur mala. Ciborum appetitus vix ullus permanet, nec ut debet formatur

* Car. Prov. Loc. Com. p. 57.

chymè ex cibo desumpto; intestinorum motus peristalticus dictus tardescit et languescit; an ex deficiente vel pravata bili?

Ebriosus fere semper dyspepticus fit, et saepe quoque pyrosi vexatur.

Si appetitus et digestio amissi cum dyspepsia et pyrosi permanentibus ab usu potus vinosi infortunatum abarcere non valeant, ventriculo actione spiritus inordinata dilassato non raro oboritur in fine scirrhus.

V. De incommodis ab Alkohol usu pulmones invadentibus.

a) Post modicum alkohol desumptum respiratio haud multum a solito differt,—fiunt ut videtur anhelitus aliquantulum altiores et validiores, et sicut de motibus a volitione pendentibus generatim jam dictum est, jucunditas quaedam motus intercostalium et aliorum musculorum respirationi inservientium comitatur.

Sanguinis per pulmones transeuntis immutationes ex aëris in illum actione, verisimiliter solito citius et forsan quoque absolutius peraguntur.

b) Sopore apoplectico ex alkohol usu jam superveniente, alta tarda et lenta devenit respiratio, et stertore comitatur. Caeteris apoplexiae signis declinantibus, fit haec quoque consuetae gradatim affinior. An a naturali differat necne, dum corpus debilitate sequenti laboret, aliorum sit judicium.

Quidam sententiam proferunt, plus aëris respiratione contaminatum esse die postero compotationis quam solet; nonnulli quoque praedicant, solito plus transpirationem per cutim vitiare: An haec ita sint, nescio.

Dr Trotter in sua de ebrietate ejusque in corpus humanum effectibus dissertatione non fere satis commendanda, judicium refert, hydrogen ex hesterni temulenti pulmonibus evolutum exspirari;* quod natura combustioni apta hydrogen simulat, an possit

---

* Essay on Drunkenness, p. 59.

esse vapor alkohol e ventriculo per ructum ascendens?

c) Illi qui alkohol usui quotidiano se dedidit fit respiratio anxia languida laboriosa. Quae autem in hac et in functionibus quibus inservit obtineant a sanitate deflectationes, adhuc nequaquam est penitius indagatum.

Trotter sententiam profert,* sanguinem per ebriosorum arterias defluentem purpureum † colorem affectare, contra quod a quibusdam dicitur, sanguinem scilicet solito floridiorem ebriosos habere: unde haec opinionis diversitas? Si sententia a Trotter prolata vero constet, an ex aliqua materia colorante (carbone v. g.) in sanguine nimis abundante, an ex pulmonum functio-

---

* Essay on Drunkenness, p. 58.

† De purpurei coloris natura curiosus conferat C. Plinii Historiae Naturalis Lib. IX. cap. xxxviii. versus finem.

nibus imminutis, vel ex mutationibus quas inter transitum per vasa capillaria subit sanguis morbide auctis, color iste nigrans? Sin altera magis tenenda sit, an tribuendus est color floridus actioni pulmonum auctae, an viribus in sanguinem vasorum capillarium imminutis, an cuidam conditionis chymicae differentiae non adhuc perscrutatae?

VI. Ultimum insequitur capitulum, in quo comprenditur quidquid de alkohol effectibus notando satis dignum, sub uno aliove priorum sectionum complecti non poteram.

De his non opus est quod multa dicam; progrediar igitur et verbis post perpaucis abcedam.

Malorum omnium ebriosos ingrassantium horridissimum, concrematio scilicet totius corporis, adhuc restat quam brevissime adnotandum.

An jure credamus omnia quae de hoc summo vinositatis effectu traduntur, haud equidem mihimet satisfeci, nec facile videtur de quaestione hujusmodi ad verum indubium et prorsus innegabile pervenire. Si

autem vero sint consentanea quae de hoc ebriositatis eventu a quibusdam enarrantur, certe non omnino inepte suadent unumquemque huic omnium fere pravissimae consuetudini deditum, ne apertis oculis in perniciem ruat: sed 'quos Deus vult perdere, 'prius dementat.'

Si falsa sint omnia de ista corporis humani concrematione relata (excepta scilicet ipsa concrematione) indagari debet, quid in causa fuerit vel sit hujusmodi mortis, et quibus praecipue modis isti eventui tam funesto obviam ire possimus.

Qui hocce phaenomenon an verum sit, quando, et in quibus evenisse refertur, et qua nititur auctoritate, curiosius perscrutari vult, perlegat tractatum a P. Aime' Lair conscriptum,* quem D. Alex. Tilloch,†

* Journal de Physique, pluv. l'an 8. Tome L. p. 115.
† Philosophical Magazine, vol. vi. p. 132.

et postea Dr. TROTTER * exscripserunt : † Fructu quoque, et quidem non sine jucunditate conferat tomum III^{um} libri cui titulus '*Flim-Flams*,' e quo derivetur copia observationum et ablectionum, non de hac re solum, sed de multis aliis ad scientiam generis cujuslibet spectantibus, major quam in opere argumenti gravioris jure exspectanda est.

Ad finem usque tandem dissertationis provectus, restat solum ni fallor, ut perhibeam quamobrem tam saepe verbo *alkohol* sim usus, quum certo non alkohol nisi plus minusve dilutum, aut chymice vel per interfusum compositis aliis mistum et contaminatum fere unquam desumatur. Hanc, ut nonnullis forsan videatur, loquendi pravita-

---

* Essay on Drunkenness, p. 65.

† Non alienum duco hic loci notare quod P. A. de LAIR huncce tractatum iterum edidit, Parisiis, anno MDCCC.

tem caeteris idem proferendi modis anteposui, quia satis constat effectus excitativos etiam compositi alicujus vel minimum alkohol continentis, ex illo alkohol pendere, ni scilicet adsit quaevis alia materies cui tribuendi sint illi effectus, et cujus actio vel intellecta vel indaganda est.

Jam nunc huic qualicunque tentamini finem impositurus, lubentissime fateor permulta et pergravia ei deesse ;—nonnulla etiam forsan superflua ;—ac quidem non pauca conjecta potius quam relata.

Ad summum ; ebrietatis et ebriositatis effectus nequaquam pertractavi, sed ex parte tantum enumeravi.

Non ullum perfeci ; pauca attamen perficienda notavi.

FINIS.

Edinburgi,
E Typis Joan. Moir.